

possessionem in equali gradu propinquitatis comparuerint causa accipiendi talem possessionem iure propinquitatis, tunc ille propinquus unde bona illa exiverint sive pervenerint ipsam possessionem habere debeat. ¶ Item addicimus, hoc statuto non obstante, quod aliqua possessio que vendita fuerit super 5  
scalas palatii communis ad incantum extimarie vel ad incantum aliquorum commissariorum fatientium incantare secundum formam statutorum, nullo modo recipi possit vel haberi iure propinquitatis; sed tales deliverationes et venditiones sint firme secundum formam statutorum loquentium de predictis. 10  
¶ Et etiam nulla possessio permutata pro aliqua alia possessione accipi possit vel haberi iure propinquitatis per aliquem propinquum alicuius, nisi talis possessio permutata valeret minus dimidietate possessionis accepte. ¶ Et etiam iure propinquitatis accipi non possit aliquam possessionem ab aliquo 15  
qui receperit sive emerit talem possessionem, si primo habuerit tres vel duas partes illius possessionis. ¶ Insuper quocienscunque aliqua questio erit de predictis in presenti statuto contentis vel aliquo predictorum coram dominio Tergesti, quod de talibus non detur libellus nec dari debeat per petentem, sed per dominium Tergesti in predictis questionibus summarie procedatur et de plano sine strepitu et figura iudicii, 20  
208 B et si per partem negaretur propinquitas, tunc // propinquus petens probare debeat solum propinquitatem illius cuius fuerit possessio, et si talis propinquus petens ius suum non fuerit 25  
prosecutus infra decem dies post presentationem denarii, tunc ab inde in antea non audiat et ius propinqui sit cassum et vanum.

Cap. XXIII. Rubrica de prescripcionibus et  
quieta tenuta triginta vel quindecim annorum. Et quis intelligatur possessor.  
R.ca. 30

**A**dhuc declaramus et statuimus quod, si quis tenuerit et possiderit aliquam possessionem vel rem per se vel per aliam personam eius nomine et successive, in possidendo la- 35